

*unâ solâ, sed omnibus quatuor anni tempestatibus simul, esse creatum mundum; siquidem uno loco veris initium contingat, alibi estate, alibi autumno, alibi deniq; hyeme, simul eodem tempore, regnantibus. Hæc, utut verissima, nec ignota Celeberrimo Viro Ægidio Strauchio, malè tamen eum ita habuerunt, ut Breviar. Chronol. Part. Special. Lib. IV. cap. I. quæst. I. inter eos numerare, non sine aliqua injuria, Senatorem Laudatissimum haut erubuerit, qui ridet Chronologos, quòd in determinando anni tempore, quo Mundus conditus sit, laborare soleant. cùm frivola potiùs ac indigna, quæ inter eruditos audiatur, eadem censenda quæstio sit; quorum omnium ne apex quidem in allegato Deliciarum loco, sed ista sola reperiuntur, quæ apud Strauchium porrò sequuntur, nihil certè vel aculei vel irrisionis habentia: Ut hunc Nostrum saltem planè non feriant,*

*„ quibus paulò post ipsos ridendos esse dicit, qui præcipiti consilio*

*„ & Sarcasmis præposteris agrè facere Chronologis conentur: ut*

*„ qui non ad tempestates in hac cura, sed ipsum tempus respiciant,*

*„ quod ingressus Solis in Cardinalia cœli puncta uniformiter de-*

*„ terminet, ita ut Sole Arietem ingresso, VER dicatur, Cancrum*

*„ ÆSTAS, Libram AUTUMNUS, Capricornum HYEMS &c.*

III. At enimverò (ignoscant obstrepenti laudatissimi Viri Manes) ut non dicam, hoc modo quæstionem de tempore mundi conditi minus ineptam quidem, at magis temerariam, evasisse (quis enim absque insigni temeritate, nullo hujus rei uspiam extante verosimili saltem indicio, definire ausit, quodnam Zodiaci signum habitaverit Sol in ipso Mundi natî exordio? maximè cùm creari mundus cœpisset, antequam aut Sol aut cœlestis Zodiacus, consequenter aut Ver aut Autumnus etiam cœlestis, uspiam extaret) vix patientur sibi persuaderi cauti prudentesque Viri, eodem sensu quæstionem vexatissimam cæteros quoque, de Vere nempe, Autumno &c. prout in cœlo, non prout in terris spectantur, intellexisse. Reclamant certè argumenta illa, à primæva plantarum germinatione, earum fructibus, seminibus, & similibus terrestrium conditionibus in sacro Codice commemoratis, petita, quibus utuntur eorum plerique, nec ipse Dn. Strauchius Quæst. VII. penitus abstinuit: Ut rectiùs meâ opinione (tametsi, quid excipere *Ἰεσὶν Φυλάττειν* in speciem cupientes possint, probe videam) ad locum Paradisi, de quo historiæ sacre sermo est, frustranea fortè nihilominus futura quæstio, restringenda videatur, hoc ejus, occasione

sal.